

6

# Hispalen. Decimarum.

**Reu. Pater.** Quod Collegia Societatis IESV ex natura propria, non autem ex solo priuilegio sint mendicantia, declarauit Pius Quintus Constitutione 131. §. 2. Ibi, *Illam (nempe dictam Societatem) & illius Praeposuum; ac singulas personas Societatis huiusmodi verè, & non sicut mendicantes fuisse, esse & fore &c. declaramus:* Nam cum superius in fine §. primi, meminerit de Societate vti complectente Collegia, ibi, *Ex eo quod dicta Societas Collegia habeat secum adiuncta, vti que in dicto §. 2. sub relatiuo, illam; censetur repetijisse nomen Societatis in eodem sensu complexiuo Collegiorum, ad tradita per Rotam decis. 687. num. 10. vers. Et hoc par. 2. recentior, & consequenter sub verbis ceterioribus, Ac singulas personas Societatis huiusmodi, intellexisse etiam de Scholaribus, qui manent in Collegijs, vt rectè arguunt Suarez de Religione tomo 4. lib. 4. cap. 4. num. 11. vers. Imò quod. pagina 493. & Cherubin. in compend. Bullar. tomo 2. ad dictam Constitutionem 131. Pij Quinti scholio 2. pagina 73.*

Quare Sanchez in Decalogo tomo 2. libr. 6. cap. 7. num. 117. circa mendicum vers. *Et non ad solos. pagina 123. dixit à Pio declaratum fuisse, quod omnes, tam professi, quam alij, qui finito Nouitiatu biennio emisissent vota simplicia, sunt verè Religiosi mendicantes; Suarez verò ubi supra, ait, Pium declarasse, quod votum Paupertatis Scholarium dictæ Societatis, non solum erat sufficiens ad constituendum verum pauperem, sed etiam mendicantem, ac eodem lib. 4. cap. 7. num. 15. in fine vers. Denique. pagina 500. relatis diuersis actibus vsus paupertatis; & mendicitatis, in omni gradu dictæ Societatis; concludit, ob hanc causam dicta constitutio Piana firmatum fuisse, quod omnes Religiosi Societatis in quocumque eius gradu existant verè, & propriè sint mendicantes, & Cherubin. ad eandem constitutionem scholio 1. pagina 72. in fine, & 73. in principio, inquit illam expressè reiecisse dubium, an Scholares dictæ Societatis degentes in Collegijs, qui possident bona immobilia, & annuos redditus, censentur etiam mendicantes; definiendo quod ipsi quoque verè tales sint.*

Nec verba prædicta, verè, & non sicut mendicantes fuisse, esse, & fore, exprimentia, quod tales essent iuxta propriam essentiam, trahi possunt ad qualitatem superinductam ex fictione priuilegij; nam dictio

vere, æquipollet verbis, propriè esse, sicut dictio, fictè, verbis, non propriè esse, secuncum *Bald. dicentem in l. hinc possideris 16. num. 12. vers. respondeo C. de probation.* quod ubi aliquid propriè dici potest, vel propriè esse, ibi est veritas, sed ubi non potest propriè dici, vel propriè esse, ibi est fictio, cum veritas, sit realis existentia; seu essentia rei, sicut docent *Alesar. conf. 60. num. 7. lib. 8. & Moronus de fide, tregua & pace question. 102. num. 8. tractat. tomo 11. folio 554. a tergo.* ex *D. Augustino* dicente verum esse illud quod est, & *Archidiaconus* in cap. corpus num. 2. *vers. stamen quia de consecratione distinguit.* 2. E conuerso autem fictio definitur à *Bald. in dicta l. hinc possideris num. 12. in fine*, quod sit assumptio facta pro veritate in re contraria veritati.

Imò Pius veritatem dictæ mendicitatis in ipsa Societate tanquam complectente Collegia, & singulas eius personas, ex industria expressit dictis verbis, *fuisse, esse, & fore*, quæ denotant omne tempus præteritum, præsens, & futurum; vt innuerent ab ipsa origine Societatis ex propria natura verè semper fuisse mendicantes, nec tales desituros esse in futurum, cum veritas nihil aliud sit, quam ipsa rerum constantia, & firmitudo *Bald. conf. 343. num. 3. volum. primo*, qui exinde dixit in *l. ex his verbis 7. num. 8. in fine C. de testament. militi.* omne verum esse necessarium, itaut nec Deus possit veritatem remouere à veritate.

Et merito quamuis Collegia dicantur habere redditus, & bona propria, nec Scholares sint incapaces dominij retinendi, quouique superior mandet, vt illud dimittant, & acquirendi cum eius licentia; Nam respectu Collegiorum ponderandum est Primò cum *Suarez de Religion. tom. 4. lib. 4. capit. 11. num. 7. pag. 521.* omnimodam gubernationem, & dispositionem tam super ipsa Collegia, quàm eorum bona ex Constitutionibus, & Bullis Pontificijs manere in Societate professa explicandam per illius Præpositum Generalem eà lege, quod nihil disponere possit in vsus proprios Societatis, sed scholarium necessitati dumtaxat inde subuenire; Ex hoc enim apertissime liquet Collegia re ipsa carere dominio dictorum bonorum, quia funditus carent illorum dispositione & administratione, cum dominium nil aliud sit, quàm potestas disponendi pro libito voluntatis *l. in re mandata C. Mandat. Rimuald. Sen. conf. 329. num. 25. volum. 2. Hinc Suarez dicto num. 7. circa finem vers. Propter quod animaduertit contraeus, Scripturas publicas, & similia, quæ circa temporalia fieri solent à Dominis, nullatenus fieri ab ipsis Collegialibus solemniter*

in annu congregatis, quia non sunt nomine Collegij, sed nomine  
Prepositi Generalis, penes quem est tota potestas disponendi, quod  
in uniu Collegia & scholares in eis degentes essentialiter carere do-  
minio bonorum ex quibus Prepositus Generalis tenetur subuenire  
illorum necessitati, & quod se vere, ac proprie esse in statu mendici-  
tatis: Minus Collegia succedunt scholaribus, vt alia Religiones ha-  
bentes bona in communi *Molin. de iustit. & iure. tomo primo disputat.*  
*130. calum. 3. vers. lam professi & disputat. 140. in princip. Suarez di-*  
*cto caput. II. num. 9. Riccioli. de iure personar. lib. 8. capite 9. num. 18.*  
Nec alia potest esse ratio differentie, nisi quod reuera nequeat idem  
adstruere Collegijs scilicet habere bona in communi, dum illorum  
dispositione, & consequenter essentia dominij carent omnino; Quod  
etiam in proposito obseruauit *Mandof. de priuileg. ad instar glos. 11.*  
*num. 26. vers. secundo tractat. tomo 18. folio 134. à tergo, & Eman. Ro-*  
*landiquez quæstion. Regular. tom. primo quæst. 2. artic. 9. conclusion. 2. pro-*  
*hibe finem. vers. Præterea pagina 13. & tomo 3. quæstion. 49. artic. 2. co-*  
*lolum. vers. Præterea pagina 150.*

Nec obstarè si diceretur in hoc sensu minimè statui posse, penes quem  
esset verum dominium dictorum bonorum, quia non posset locari penes  
Collegia vti funditus carentia potestate disponendi ex iam dictis, nec  
penes Societatem professam, & Prepositum Generalem tanquam  
habentes nudum, & simplex ministerium abstractum ab omni com-  
muni tam actualiter, quam potentialiter, quia totum, & integrum  
erogare debent in necessitates scholarium & nihil prorsus manenti-  
bus, vel destructis Collegijs applicare valent in vsus proprios ad tra-  
dita in *si quis Titio 17. de legat. 2. precipue per. Ald. sub. num. 2. & 3. ac*  
*Imol. num. primo. vers. intellige & num. 2. vers. nisi appareat. Bartol. in*  
*pecunia num. primo. ff. de adimend. legat. & Ros. coram Gregor. XV. de-*  
*cision. 544. num. 2. cum seqq.* Nam responderet Dominium dictorum  
bonorum manere penes Ecclesiam vniuersalem sub omnimoda  
dispositione Societatis professe explicanda per Prepositum Generalem  
idem ad commodum Collegiorum, quibus applicata sunt pro illorum  
necessitate & alimentis Scholarium in eis degentium, vt de fratribus  
minoribus, quorum monasteria & Ecclesie nequeunt habere pro-  
prium in communi norant *Iacob. de Arena in l. Deo nobis num. 6. vers.*  
*sed posset dici & in addition. vers. quia si conuenis C. de Episcop. & Cle-*  
*ricis. Bart. in tract. minoris ar. distinct. 5. cap. primo num. 19. & Fr. Didacus*  
*de Cea in thesauro terræ Sanctæ lib. primo caput. 8. §. 6. pag. 226.*  
Secundo Collegia dicte Societatis habere quidem bona secum adiun-

Ea ex fundatione pro illorum dote, ita ut vigore salutis & constitu-  
 tionum Apostolicarum non debeant sine illis fundari, ne careant  
 adimento necessario pro alimentis scholarium in eis degentium, sed  
 non inde sequi, quod eiusmodi dos sit de essentia & natura Collegio-  
 rum, ut faciat ea non esse vere, & naturaliter mendicantia, sicut dicitur  
 de dote in matrimonio tam carnali, quam spiritali, licet enim  
 congruum, ac utile visum fuerit in utroque eam dari pro sustinen-  
 dis oneribus, non tamen ipsa dos est de essentia ac natura matrimo-  
 nij ut aduersus *Mozzani de Contract. tit. de Matrimonio Si de naturalibus  
 matrimonij num. primo esse firmant Fran. Molanus de remanentibus  
 lib. primo comparat. 23. num. 18. & Fontanell. de pactis nuptialib. sumo. 2.  
 claus. 3. glof. prima num. 5. in fine vers. non dicitur. & quare Racom. de-  
 clarat. sur. lib. primo declarat. 21. num. 14. vers. dicitur & 15. vlt. num. 2. Bon-  
 tanell. vbi supra num. 7. eleganter inquit dorem non esse partem prin-  
 cipalem Civitatis quamvis adimento sit tanquam vni ex partibus  
 Civitatis cum matrimonium de sui natura possit esse sine dote, sed  
 propter onera, quae in eo occurrunt non sit absque illa contrahendum;  
 atque ideo Republicae interfit mulieres esse dotas, ne scilicet do-  
 trimonia veluti optima pars Civitatis eius deest, qui corruerent; Itaque  
 ergo simul quod Collegia tanquam membra, & sic pars dicitur Socie-  
 tatis in summo gradu mendicantia de sui natura sint men-  
 dicantia, & nihilominus quod iuste sancitum fuerit, ne fundentur sine  
 dote bonorum, hoc est adimento necessario pro eorum oneribus  
 sustinendis.*

Neque ex eo quod bona Collegijs accedere debeant in summo funda-  
 tionis ab eis excluditur primordialis natura mendicantia, quam for-  
 tiuntur a corpore cuius pars sunt, cum duplex sit ordo temporis, &  
 natura, & hinc semper prior sit illo secundum *Bartholin. legum. 9. S. si  
 quis ita num. primo vers. nam est quidam ordo. & Bald. num. 3. ff. de Hae-  
 red. instit. ex. exemplificantes in igne qui ordine naturae prior est,  
 quam calor, licet ratione temporis simul existant, ac etiam in seruo  
 haerede instituto, nam primo fit liber, postea haeres non quidem or-  
 dine temporis, sed naturae cum persona prius debeat esse habilis  
 quam si haeres. Ideo nil refert, quod in Collegijs ex vi regule, &  
 constitutionum Apostolicarum secundum ordinem temporis simul  
 existant fundatio, & accessio bonorum, dum ex ordine naturae prae-  
 dere debet, quod illa tamquam membra & pars Societatis mendican-  
 tis sint etiam naturaliter mendicantia, quia membra dicuntur esse  
 illius naturae, cuius est caput l. in diversis ff. de religiofas, & sumptib. fu-*

*ser. Cagnol. in probam. ff. nu. 2. Menoch. cons. 258. num. 12. volum. 2.*  
 eademque ratione pars censenda est illius naturæ cuius est totum  
*Surd. cons. 19. num. 16. volum. 4.*  
 Quod vero ad Scholares licet votum paupertatis, quod emittunt non  
 facia eos incapaces domini, retinendi quousq. superior mandet,  
 ve illud dimittant, & acquirendi cum eius licentia, vtrumque  
 tamen subordinatur liberæ voluntati Superioris, atque ideo verè  
 in ordine ad illam dicitur votum relinquendi omnem proprietatem,  
 & dominium, vt docet *Suarez de Religion. tom. 4. libr. 4.*  
*numero 3. & seqq. pagina 491. subdens. num. 11.* huiusmodi votum  
 esse sufficientissimum ad constituendum verum statum Religiosi  
 nedum Pauperis, sed mendicantis etiam quoad omnem perfe-  
 ctionem desiderabilem in eo statu, quod ibidem, ac numeris  
 sequentibus vsque in finem latissimè comprobatur; Nam præal-  
 fertum dominium in personis Scholarium est materialiter dum-  
 taxat, non formaliter, quia non habet vim aliquid agendi per se,  
 cum ligetur voto, nec illius ratione fit liberum penes ipsos  
 Scholares quoad vsum, administrationem, & durationem, &  
 ac in eorum voluntate maneat, vt proprium, sed totum pendeat  
 ex libera absoluta voluntate Superioris, ac propterea benè ap-  
 plicetur dictum Apostoli *prima ad Corinth. capit. 7. Reliquum est*  
*ut qui habent tanquam non habentes sine &c.* Nam teste *Theodo-*  
*rico de Pecunia Religiosorum capite 7. relato per Charusianum tomo*  
*secunda operum minorum de reformatione Claustralium artic. 16.* Re-  
 ligioso magis nocet vsus peculij sine proprietate, quam proprie-  
 tas sine vsu.

Ex quibus inter mendicantes recensent tam Collegia dictæ Socie-  
 tatis, quam Scholares in eis degentes *Gabriel. consil. 28. num. 8.*  
*& sequentibus volum. primo. Menoch. cons. 1014. numero 14. vol. II.*  
*Ricciull. de iure personarum lib. 3. capite 9. num. 2. sub vers. facen-*  
*dum tamen est. Paschal. de virib. patr. potestas. libr. 1. capite 3.*  
*num. 67. Marta de successon. legal. part. 3. quest. 13. artic. primo*  
*num. 17. Bonacin. de claus. quest. 2. puncto 9. §. 5. diffinit. 1. num. 6.*  
*vers. Quinto sequitur, Cutellus de Donation. &c. discursu 2. part. 4.*  
*ex numero primo, & seqq. Cantel. ad Peregrin. de fideicommiss. artic.*  
*28. in fine Cherubin. in præcitato scholio primo, & secundo, Muta de-*  
*cision. 2. sub numero 17. & 18. Rota coram Baratt. decision. 245.*  
*numero primo, & infra; Nec inficiantur Mandos. de Privileg. ad*  
*in Ar dicta glos. 12. ac Rodriquez questionum Regularium tomo 1.*

*quæstione 3. artic. 9. conclusione 2. Et tunc 3. quæstione 49. artic. 2.*  
 quia nihil certi definiunt, licet rationes deducant pro vtraque  
 parte; Imò fundamenta, quæ Mandos. ponderat pro illorum mendicantibus numero 25. & sequens ex eoque repetit *Rodriguez dicta conclusione. secunda vers. At Mandos. ac dicto artic. 2. versic. Sed ex aliis*, manifestè conuincunt veritatem esse affirmatiuam, quam Pius Quintus in dicta Constitutione declaratoria probauit ad penitentiam tollendam in huiusmodi dubitationem, sicut animaduertit *Sanchez in Decalog. dicto libr. 6. capite 7. num. 117. versic. Dicitur*; Quare idem *Rodriguez in summ. Hispan. part. 4. capite 113. numero primo sub media*, asseruit dictos Scholares esse de Ordine mendicantium.

Nec vllus author, quem viderim, post dictam Constitutionem Piam de mendicantibus Societatis locutus est, iuxta sententiam partis aduersæ, quod sola Domus Professus sit mendicans, sed omnes inquirunt, Societas IESU, vel Religio Iesuitarum est mendicans, vel Patres dictæ Societatis sunt mendicantes, vt exempli gratia videri potest apud *Navarr. comment. 4. de Regularibus num. 13. Redoan. de spol. Eccles. quæst. 8. num. 9. Barbof. de potest. Episcop. part. 3. allegat. 77. num. 18. de iur. Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 4. num. 2. & 3. de Appellat. verbor. significat. appellat. 147. num. 7. Et in collect. ar. 468. Apost. decision. numer. 17. verb. Iesuitæ. Nouar. in Læcerma Regular. verb. Iesuitæ num. 15. & verb. mendicantes numer. 8. Lætanæ quæstionum Regularium tomo 2. cap. 1. numer. 2. & tomo 4. verb. Mendicantes num. 2. Puerin. in priuileg. Regular. in Constitutionem quartam Pij Quinti S. 2. num. 1. Bordon. in consil. Regular. allegat. 29. num. 26.*

Nec subsistit, quod alias dicebatur ex aduerso Collegia non recenserentur in §. secundo dictæ Constitutionis Piam quando Societas declaratur verè, & non fictè mendicans, sed solum quando fit mentio, quod in eis locum habeant dispositiones tam iuris, quàm hominum in fauorem mendicantium, vnde inferebatur, quod Collegia sint mendicantia per solam communicationem priuilegiorum, non autem ex natura propria.

Nam contrarium patet, vt dixi ponderando, quod Pius Quintus in §. primo, meminit de Societate, vt habente Collegia secum adiuncta, ex quo aliqui in controuersiam deduxerunt veram illius mendicantem, quodue in §. secundo, sub termino relatiuo, *Illam*, & sic vti habentem Collegia secum adiuncta, ac singulas pertinet.

personas Societatis huiusmodi, scilicet quatenus complectebatur  
 Scholares degentes in Collegiis ipsi adiunctis, non autem strictè  
 ad professam statuit, & declarauit verè, & non fictè mendican-  
 tes fuisse esse, & fore, quæ verba complectentia omne tempus  
 præteritum præsens, & futurum per necesse arguunt primordia-  
 lent essentiam mendicitatis ex natura propria in toto integrali ip-  
 sius Societatis, quoad omnes eius partes, & singulas illius per-  
 sonas, nec restringi valent ad solam partem professam, exclusa ali-  
 tera parte Collegiorum, & Scholarium, quæ dicta controuersie  
 ansam præbuerat, cum inapplicabilia sint communicationi priui-  
 legiariæ, quæ tempus futurum dumtaxat, non præteritum, ac  
 præsens admittit, imò si diligenter excutiantur verba ponderata  
 ex aduerso, pro asserta discretiua, ibi, *Ac omnes, & singulas tam  
 iuris, quam hominum dispositiones in fauorem Religiosorum, seu Fra-  
 trum mendicantium nunc, & pro tempore emanatas etiam in Socie-  
 tate, illiusque domibus, Collegiis, Præpositio, & aliis Religiosis locum  
 habere*, & latissimè apparebit Pium Quintum in præcedentibus in-  
 clusisse eadem Collegia, ac eorum Scholares; Nam per dictam  
 copulam, *Ac*, prosecutus fuit eandem Orationem declaratiuam  
 mendicitatis, in qua priùs dixerat, *Illam* (nempe dictam Socie-  
 tatem complexiuam Collegiorum, & *Illius Præpositum, ac singulas  
 præsentis Societatis huiusmodi verè, & non fictè mendicantes fuisse, &  
 esse, & fore, & inter aliorum Fratrum, & aliorum Mendicantium  
 Ordines, aliasque Fratres, & Religiosos mendicantes, prout illos nos  
 connumeramus, & connumerari debere*, siquidem prædictis illa  
 connectendo veluti in sequelam necessariam prioris Axiomatis,  
 subdidit, dispositiones emanatas à iure, vel ab homine in fauorem  
 mendicantium locum habere in societate, illiusque Domibus,  
 Collegiis &c. Scilicet iure proprio ex natura primordiali, quia  
 verè, & non fictè omni tempore fuerant mendicantia, non autem  
 per viam communicationis priuilegiariæ, de qua solum meminit  
 in subsequenti §. Tertio; Nimirum si expressio Collegiorum in  
 dicta sequela elicitæ ex terminis præcedentis asserti, apertè con-  
 uincit, quod in illa etiam Pius Quintus sub nomine Societatis, &  
 singularum personarum illius complexus fuerat Collegia, & per-  
 sonas Scholarium in eis degentium, ad tradita per Bald. in l. lega-  
 rorum petitio 34. §. qui plures num. 1. sub fine vers. sed quando de le-  
 gatis 2. quod si præcedentia sunt indeterminata, & generalia, se-  
 quentia verò determinata hæc illa determinant.

Minus

Minus aliqua vis fieri potest in similitudine tutoris allata per Suarez, nam sufficit verificari in Præposito Generali respectu Collegiorum, ex eo, quos pene illum sit licet carentem dominio quasi tutorem plena administratio honorum assignatorum Collegio pro dote, hoc est necessario ad substantiam scholarium in eis degentium, in quo sensu Suarez fecit huiusmodi æquiparationem absque eo quod viceversa firmet verum dominium dictorum bonorum, tam materialiter quam formaliter inesset Collegijs, sicut bonorum administratorum à tutore inest pupillis, cum satis superque sit, quòd similitudo concurrat respectu eius de quo agitur licet dissimilitudo adsit in reliquis *Ioan. And. in cap. non potest num. 7. de prebendis in 6. Nata conf. 602. num. 5. Gabriel. conf. 123. num. 29. volum. primo*, quia nullum simile est idem secundum *Bald. in l. qua forsuitii, num. 28. C. de publication. qui propterea in Authent. ex testamento num. 8. C. de collation.* Inquit quod aliud est esse simile, aliud esse idem.

Quin etiam celsat omnis difficultas, animaduertendo quod sicut administratio verificari potest in non spectantibus ad pupillum iure dominij, sed designatis dumtaxat pro illius alimentis, & necessitatibus, si hæc tantum habeat, ita quoque assimilatio Præpositi Generalis quoad Collegia carentia tutore domino bonorum inferuentium pro alimentis scholarium verificetur citra illius stabilitum in ipsis Collegijs.

Nec etiam in alia similitudine corporis heterogenei, quia non sequitur, in Societate sunt diuersa membra destinata ad diuersas actiones, & operationes, ergo sunt diuersa naturæ quoad essentiam mendicitatis, in qua ipsæ Societas fundata fuit; Nam cum omnia sint membra eiusdem Corporis in ea instituti assumere debent eandem naturam coessentialem ipsi corpori, nec diuerso iure censei iuxta exemplum corporis humani deductum in factum.

Solide autem ex prædictis firmata naturali mendicitate Societatis etiam quoad Collegia, celsat obiectum, quod non fuerit expresse derogatum *cap. nuper de decimis*, quia non fuit processum per simplicem Communicationem priuilegiorum Spectantium ad mendicantes, sed per declarationem quod illa verè, & non fictè super fuerint mendicantia, scilicet inspecta natura primordiali, licet absque Dote minimè fundari deberent & fundatio, ac dos simul existerent quoad Ordinem temporis.

Præterquam quòd Collegia allegando consuetudinem immemorabilem



bilem, quam habent omnes mendicantes ipsis communicatam allegare possunt etiam Privilegium Apostolicum cum expressa derogatione, dicti cap. nuper ex notatis per glos. in cap. super quibusdam, S. Præterea, verb. non extas, de verbor. significacion. Felin. in causam num. 2. & infra de prescript. cum similibus.

Nec demum ex alijs deductis, quæ Domini dignentur reassumere, videtur hæsitandum de præsertuacione dictæ consuetudinis in Breue Leonis XI. quod etiam pro comperito habuit Barbof. de Inr. Ecclj. vnivers. lib. 1. cap. 41. num. 195. in fine.

Quare &c.

Joseph Hortentius de Rubeis Aduoc.

R. P. D.  
**CORRADO**

**Hispaleñ Decimarum.**

*P R O*

Veñ Collegijs Societatis I E S V.

*CONTRA*

**Capitula.**

---

4.<sup>a</sup> Iuris  
D. de Rubeis.

---

ROMAE, Ex Typographia  
Reu. Cam. Apost. 1646.

*Superiorum permissu.*